



*Aliger aduentum Christi virtute Columbae.  
Nuntiat hoc granum pura Columba capite*

Univ. Bibl.  
München

# UMBRA MALI

BONA & MALA

*Sub*

Umbra Malæ Mali peccaminosus  
Adam,

*Sub*

Umbra Bonæ Mali Concepta  
finè Labe

# M A R I A,

In annuo ejusdem Festivitatis recurſu Panegyrico ſermone  
celebrata

In Eccleſia Beatiffimæ Virginis MARIE  
Immaculatè conceptæ, RR. PP. Ord.  
S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ  
Hibernorum

P. Mariano Hermann, Sacri Candidiſſ.  
ac Exempti Ordinis Præmonſtratenſis  
Regiæ Eccleſiæ B. V. MARIE Montis  
Sion Canonico Regulari, A.A.LL. &  
Philofophiæ Profefſore.

Anno MDCCII. Die octavâ Decembris.

Vetere Praga, Typis Adalberti Georgij Komias.

*HONORI ET VENERATIONI,*  
ILLUSTRISSIMI & EXCELLEN-  
TISSIMI DOMINI, DOMINI

**LEOPOLDI  
ANTONII**

S. R. I. Comitis de Trautmansdorff  
& Weinsberg,

Liberi Baronis de Gleichenburg, Neg-  
gau, Burgau, & Tatzenbach, Domini  
in Teinitz, Leitmischel, & W obrzistwi,  
Sacrae Cæsareæ Majestatis Actualis Ca-  
merarij, & Regij in Regno Bohemiæ  
Locumtenentis,

*Submissimè dicata*



Collegio Immaculatae Con-  
ceptionis PP. Hibernorū  
ad S. Ambrosium Neo-  
Pragæ.



ILLUSTRISSIME & EXCEL-  
LENTISSIME S.R.I. COMES,

Domine Patrone Observandissime.

**I**N Nominis Tui Venerationem, ac  
sublimis Tuæ erga Matrem Immacu-  
latam pietatis contestationē Tibi hæc  
de concepta sub umbra Bonæ Mali sinè  
Labe Virgine Matre sistit se panegyris.  
Verùm quid cū Oratorijs Umbris fide-  
ri **ILLUSTRISSIMO**, in quo umbras quære-  
re, non modò hic labor hoc opus at fru-  
straneâ temeritas est. Continuis gratia-  
rum ac beneficiorum fulgoribus oreris  
nobis sole duplo, verè **ILLUSTRISSIMUS**  
**LEOPOLDUS**, & dum penè totum perdi-  
tum arbitramur, in integrum restituis  
**Beneficentissimus ANTONIUS**, oratorias  
has Tibi dicendo umbras, nullam in  
splendore Tuo quæritamus caliginem,

ast nosmetipsos Umbras (solis comites)  
radiatorum Tuorum constituimus, in in-  
defessos, cultûs ac servitij tui comites  
nos dicando, qui à mirando virtutû co-  
mitatu, à continua Benevolentia Tua  
nos comitante, à munifica in nos comi-  
tate verè suspiceris COMES, itaque cum  
Umbræ liberum ubiq; passum benignè  
reperiant Tibi dicatas habe LIBER  
BARO hancq; umbrosam paginam in  
libraria Tua Camera, ACTUALIS CAME-  
RARIE, minimum annue tenere Locum  
REGIE LOCUM TENENS, pro annutu gra-  
tioso obumbrata Virgo Mater repen-  
det gratiam, ut non modo operiat gen-  
tilitios Tuos montes umbra ejus, sed &  
agros & roseta, ita evenire vovet

ILLUSTRISSIMÆ ac EXCELLENTISSIMÆ  
DOMINATIONI VESTRÆ

*Devotissimum*  
Collegium ad S. Ambrosium.



ORATIO.



Enique quo tantis fracta laboribus, strata languoribus, fessa operibus, gravata oneribus, deroborata injurijs, lassata fatijs, attrita casibus, prostrata servitutibus, madens sudoribus, fatigata anxietatibus, exhausta viribus, exanimata facultatibus, hebetata potentijs, enervata spiritibus, anhelaret quietis cupida, refrigerij avida, solatij appetitiva humana infirmitas quam sub umbram.

Dormiat itaque quiescatque securus sub umbra juniperi exantlatis pro zelo DEI laboribus, exanimis propè Elias, refocilletur sub umbra hederæ suæ amplissimæ prædicationis fervoribus exæstuans Jonas, sub salvifica Salvatoris umbra innumeris oppressa langvoribus, medicam gratiam capiat humana imbecillitas, in umbra Nabuchodonosor & Balthasar filij ejus, sub miseræ licet servitutis jugo, nihilominus beata vivat, ab oppugnantibus proterentibusque undequaque gentibus respirans Judæa, salventur & protegantur à percellente vastatoris gladij fulgore, umbram Ægypti queritantes Israëlita, denique diurni, Dominicis in obsequijs exantlati laboris solatium umbram requirat, servus; verum non sine delectu, nec enim umbræ sunt sine fallaciarum Umbris, ac crebro umbris nec suam homo tuto credere habet umbram. Videatur equidem licet umbra refrigerij fecundaprens, deliciarum mirifica filia, virium artificiosa reparatrix, quietis individua comes, voluptatis omnis abundantissimum cornu edipia, attamen umbra honorum tam eximiorum nudam persæpe umbram non rem confert, æstimatos adeò fructus mentitur non largitur, dumq; ore intento expectatæ diu dulcedinis avidus, eos nititurprehendere, comprehendit tantum, *quantum qui apprehendit umbram*, ac cancrino expectationis successu, quanto ampliores sine metu, optimæ spei præstolatur eventus, eò numerosiora sæpe numero colligit mala, malive incurrit timores. an enim vanè suam timet elephas averfatürque umbram? an non in umbra sua formosissimus Narcissus invenit amorem, & in amore amarorem, quia dum infelici errore æstuans prosequi amplectique se putat amoris consortem, infelicem incidit sortem, amarissimam scilicet

3. Reg. 19.  
v. 5.  
Joua 4. v. 5.  
Marci 4. v.  
32.  
Baruch 1. v.  
12.  
Isaia 30. v.  
2.  
Job 7. r. 3.

Eccli. 34.  
v. 2.

Symocatta  
qu. 3. Phis.

licet mortem, & dum ex oculari nritur aquosam Umbram, ofculante ore haurit undam, itaque præceptis mergitur in abyllum profundam, sicque umbra amatorem in fontem merfit in fontem, & umbra amata dejecit in fata : & si fors hoc purè fabulari videatur græcæ fidei Poësis, suspectam umbræ naturam, scrutatrix naturæ explicet Physica, & ipsa sinceræ veritatis amatrix, meo umbris minus fidenti, calculò suo, suffragabitur animo, dabitque cum versatissimo Plinio umbram, quam fugere habent germina, nè alioquin sinistro fato sub hac umbra quiescentibus fugiat vita, quæque dum amœnum plantæ perhibere putatur refrigerium triste parit exitium, Plinij verbis loquar : *Jam quedam umbrarum proprietatis necat germina pinus*, ac ita quoddam facunda nutritur tellure à fatali enecatur umbra, quod in umbra amplum sperat incrementum, ex umbra finale mercatur detrimentum. Quis jamjam in tanto discriminis mirandi cardine ambiguoque rerum ambitu, umbræ vel umbram dedat fiducia, quando umbra vana, non vani est mater timoris, & umbra vitæ fit umbra mortis, umbra incrementi umbra exitij. Argus itaque sit qui bonas inter malasque umbras discernere parat, umbramve gestit deligere, volubili quaqua versum feratur oculo, an sive optatæ felicitatis, aut averfandæ infelicitatis, ominosi quidam occurrant prodromi alieni inquam sive periculi, seu fatalis exitij, aut pacatæ requietionis vel optatæ salutis monumenta, deligenti documenta. Et verò ut lassato operosis laboribus, anxiusque guttoso sudoribus homini servo, amice conservis consulam, bonas umbras à malis discriminaturus, ac clarius utrimque ad discerniculum inscripturus signaculum; novenam cum sapientissimo Berchorio statuo umbram, vanam unam, damnosam alteram, fallacem tertiam, quartam fatuam, quintam infelicem, mysteriosam sextam, septimam magnificam, mirificam, potentem, octavam svavem, nonam beatam. Vana est umbra humanæ conditionis, damnosa est umbra mundanæ possessionis, fallax est umbra perversæ conversationis, fatua est umbra peccati corruptionis, infelix est umbra obscuræ damnationis, mysteriosa est umbra supernæ absconsionis, magnifica divinæ protectionis, svavis internæ devotio- nis, beata æternæ salvationis: Tot mihi hodie sunt umbræ, verum tamen dum tot inter obverfor umbras nec umbram timens mali, nescio, quæ rediviva Momici Catonis umbra in meum invec- ta sermonem cen- sorio illud Evpolis in autolyco de me occinire ore

Plinius l. 17.  
Hiflor. na-  
tur. c. 12.

Berchorius  
v. umbra.

Evpolis in  
Autolyco.

Bumos ostentat & umbrar.

Ast non infringat constantissimos animos vestros AA. OO. hæc Momi  
 in æctiva, si *Umbræ vicini corporis indicat præsentiam*, ab umbris rem gra-  
 vissimam præstolari libeat, & hic Momus quousque ex umbris rem e-  
 larebrem, cum umbris pugnet, easque forti impetu nisique omni pro-  
 fligare contendat, laborioso docendus experimento an suam vel contra  
 umbram sibi suppetant facultas virisque: ego dum meas repeto um-  
 bras Mariani Encomiastis tantum umbra humili AA. OO. interpello  
 prece sub umbrosa mea parabola patientes esse umbras.

En quid video, & pulchri colores, & graves saporos, & grati odo-  
 res, & lenes clangores, magnifici honores, speciosi amores non sunt  
 nisi umbra, amplæ divitiæ, splendida operimenta, augusta palatia  
 voluptuosa lenimenta, fortunæ blandimenta non sunt nisi um-  
 bra, Umbra! sic ipsi in via voluptatis, voluptuosæ iniquitatis, ini-  
 quæ felicitatis, infelicis honorum omnium affluentia: olim jucun-  
 dati, cum lassati, novissimè de fluxitate universorum mæsti clamant  
 Cosmophili: *Transferunt omnia illa tanquam umbra!* tanquam veloci-  
 ter fugiens umbra, tanquam vix prehensa jam evanida umbra! sic tota  
 illa amplissima, latissima, sive internum animi gaudium, sive externum  
 corporis famulatum afficientis mundanæ possessionis farrago mera est  
 umbra, an non enim umbram proclamant, tanti cum umbræ eventibus  
 ad amissum simbolizantes ejus effectus, ut tot in universis sit repe-  
 rire umbræ tesseras, quot mundanæ facultatis dotes assecas, si enim  
 umbra reperitur refrigerativa, obscurativa, retardativa, melancholiæ  
 generativa, serpentum nutritiva, & rota mundi facultas reperitur re-  
 frigerativa dum reprimat charitatis divinæ calorem, obscurativa, dum  
 veritatis obscurat splendorem, retardativa, dum honestatis retardat  
 maturitatem, melancholiæ generativa, dum generat fastidium sancti-  
 tatis, serpentum nutritiva dum colubros alicui malignæ societatis, um-  
 bræ ergo damnosæque umbra, tantorum animæ mater livorum, fons  
 langvorum, origo damnorum, ut æquæ apposita lanci, vel dormitoris  
 orbis Alexandri gloria, vel Cræsi opulentia, vel majestas Augusti, vel  
 felicitas voluptasque Salomonis, denique mundi totius summa nec mi-  
 nutum adæquent, ô mortales! *quam dabit homo commutationem pro a-  
 nima sua?* Verùm expensâ jam umbraticâ mundani Boni & Doni con-  
 ditione novam libeat revelare umbram, eò revelandam necessarius  
 quo umbra hæc nocet fallaciùs, eò explicandam clariùs, quo prægan-  
 tem

S. Gregorius  
Nazian.

Sap. 5. v. 9.

Berchorius  
l. cit.

Math. 16. 9.  
26.

tem malo uterum celat oculiūs: umbra hæc fallax, umbra est per-  
 versa conversationis. Larvata est hæc umbra alium enim quam habeat  
 mentitur vultum, umbra hæc vita est hypocritica, quæ dum sanctitatis  
 fingit faciem, omrem abscondito utero gerit per veritatem. Est nunc  
 hypocrita non est res sed umbra, si equidem ad illuminati figuram cor-  
 poris sese conformat umbra, hypocrita sanè pro mensura splendoris  
 quam proximi fundit pietas, ipse fallacem edit umbram sanctitatis,  
 larvatâ hæc umbra fatuam tegens umbram peccati corruptionis. Dis-  
 putent hic Eximij Theologi, subtili ingeniorum acie de conceptu pec-  
 cati, ego in paucis, multis non indigus argumentis sentio esse umbram,  
 quando umbræ peccati que effectus subtili sibi respondent harmonia, si  
 locum umbra obscurat, umbra peccati fulgidissimam gratiæ lucem  
 eliminat, humanam in mentem fatuæ inducit obscuritatem ignorant-  
 iæ, si umbra sterilitatis est principium, umbra peccati speciosos illos  
 meritorum mortificat fructus, fecundâ que cæteroquin hebetat virtu-  
 tum germina: umbra ergo peccatum, ac fatuæ umbra, quando pro  
 umbra pellicentis voluptatis stultâ mercaturâ corpus animamque pro-  
 digunt in infelicem umbram obscuræ damnationis, locandi in lacu infe-  
 rioris, in tenebrosis & in umbra mortis. En A.A.OO. umbras quibus nec su-  
 am viator credat umbram, ast

*Psal. 87. v. 7*

*Cedat jam tristis, succedat lætior umbra*

Si malas inter fallax, salubres inter mysteriosa reperitur umbra miran-  
 da anthitesi, nec fallacia probroso quis iudicio dicat mysteria. aut lar-  
 vas rerum, sed abscondita sæculis revereatur sacramenta. Mysteriosa  
 hæc Umbra, est supernæ absconsionis umbra, magnum pietatis Sacra-  
 mentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit  
 angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in glo-  
 ria, Verbum incarnatum, an non enim umbra est humanitas in qua  
 absconsus est Deus? an non Deum quem alioquin non videbit homo & vi-  
 vet, primitiva in umbra vidit Ecclesia, quando assumendo carnem, di-  
 vinitati, quasi cussus fecit umbraculum? è quo novam in creaturam uni-  
 versam refudit umbram, in carne merendo Christus gratiam, umbram  
 suavem internæ devotionis, quæ ceu umbra, fatigatos lassosque à pa-  
 tria exules Adæ filios tentationis fervore æstuantem refrigerat, roborat,  
 confortat, ut beatam contingant umbram seu Paradisi gloriam in qua  
 ab ubertate domus DEI delectati, speciositate magnificæ gloriæ recre-  
 ati,

*r. ad Tim.*

*3. v. 17.*

*Exodi 33. v.*

*20.*

*Job 27. v. 18*



ati, torrente voluptatis cælicæ potati, ceu à labore æstûque refrigerati quiescunt sub umbra. umbra beata. *Beati enim qui habitant in domo tua Domine!* En salutis umbras, beatas umbras, meum tamen haud beatificantes sermonem, quando beatis his umbris præcoci expensis verbo, erroris incurri reatum, priùs umbrarum terminans numerum quàm inchoans, priùs absolvens quàm singulas pertractans, erroneâ binas transiliens umbras præteritione, ac omnium quidem primam umbram conditionis humanæ, ac ter quaterqve magnificam, mirificam, potentem, umbram Divinæ protectionis. Parcite AA. OO. si erroris incidi Labyrinthum Ariadne habeo, festivâ hodie solemnitate gloriosam, concepram sinè labe MARIAM, quam dum intueor, sub Divinæ protectionis umbra id est sub umbra Bonæ Mali Immaculatam, talémque pronus veneror, sub umbra malæ mali pariter infectum umbra peccati Adamum, totámque posteritatis suæ seriem, ac ità conversos in Vanam conspicio umbram mortales. Cœptum igitur ut continuato prosequar studio, Bonam & Malam Mali umbram, Bonâ & malâ Malo indigitatâ anthiteticè promam, Divinæ protectionis umbram, umbræ mali comparaturus, umbraticam lapsi hominis conditionem ab umbra mali derivaturus. Toti itaque pulchræ filia DEI Patris, Matri DEI Filij, Sponsæ immaculatæ SPIRITUS Sancti lætus adscribo: *Bona sub malo, Imagini primitus DEI, & originalis justitiæ gratiâ amabili, demum peccati labe deturpato averni ectypo, filio Iræ Adæ, malus sub malo: ex meritis Divini FILIJ immaculatæ MATRI amoris inscribo canticum: sub umbra illius quem desideraveram sedi, Justitiâ fulgens originali; fraude serpentis sub malo illuso delusóque Adamo triste lamentum, sub malè concupita umbra, umbra sum per umbram peccati!* delectæ à MARIÆ umbræ accino epigraphen *Obumbrans in gratiam, malæ mali umbræ in umbrans in umbram,* à malis sub malo ordiar ut lætiores epilogi cum bona malo bonum dent gaudium.

*Psal. 83. v. 5.*

*Cant. 2. v.*

*3.*

Verùm ubi de malis sub malo umbris meum ordior sermonem, taceat suas metamorphoses Ovidius, ac non modo digitum sed plenas manus ori imponat ut carmen scândere nequeat, dum enim metrico pede transmutatum in cervum Actæonem metitur, mentitur, dum Junonem in tragicam conversam stellam pingit, fingit, dum Lycaonem ob cædem versum in lupum occinit, decipit, dum Daphnem conversam in umbram scândit falsa pandit, dum Nympham versam in Laurum in

*Ovidius in Metamorp.*

fcenam producit errore seducit, dum tiliam à Vulcano tactam versam in fonticulum meditatur hallucinatur, dum specie arundinis Syringam celat, menda revelat, dum Inachim, Jovis conjugem curiosius aspectantem in vaccam conversam promit, falsa componit, taceat itaque quando ipse suam tacet, necessèque habet audire metamorphosim quãdo inquam sub umbra mali homo fit umbra. Sanctissimi Pontifices, Augustissimi Cæsares, Serenissimi Reges, Eminentissimæ Purpuræ, Inclyti Duces, Celsissimi Principes, Reverendissimi Præsules, Illustrissimi Comites, denique à minimo usque ad maximum universa hominum conditio mera est umbra, omnis in culpam lapsus homo est umbra! umbra! unicum hoc verbum parva est lectio, sed magna in eo subintellectio, terribilis siquidem metamorphosis homo umbra! hæc metamorphosis, homini in terra coloni labores facilè exercituro, terram obduravit in resistantiam, frugis universæ fœcundam matrem immutavit in spinas & tribulos progerminantem novercam, illa elementa pacifico primitus sibi illigata ordine homini servitura in vitam, in atrox commovit bellum, homini in ruinam, illa animantia Domino universorum homini quietè olim subjecta in servituti, in acrem animavit rebellionem, nec terræ contenta superficie intima scrutata est terræ, ibique infernalem prius conclusam inferni abyssum homini referavit in carcerem, ab imis altissima petens, movit cælus ut disrumperentur, paterentque descensui DEI in hominis reparationem. Homo umbra! superi! ficcine ad imaginem & similitudinem DEI creatus homo Umbra! proh quantus in umbram defectus! Homo umbra! amabo unde umbra? ab umbra, à Malæ Mali umbra. Miranda mali umbra quæ hominem solvit in umbram, ferali jamjam inscribam malo: *non potest arbor mala bonos fructus facere, nec bonam quidem umbram jacere*: Mala equidem erat hæc malus sub cujus umbra cum Eva sua stetit Adam, Malus hæc arbor scientiæ boni & mali, ac vel inde mala, quando melius malum nescisse, quàm formidolosè cavisse, vel in malum infeliciter incidisse, mala à fructu, qui degustatus in tot humanam conditionem præcipitavit mala, ut *oporteat semper orare & non deficere: Libera nos à malo*, mala quia si cum sancto sancta, sanè à pessimo sub arrogata serpentis specie se malo ingentis veteratoris confortio mala imò pessima facta est malus, mala quando nec bonam jecit umbram, ast hujus mali umbra, speciosam DEI imaginem in solam

Math. 7. v.  
18.

Lucæ 18. v. 1  
Math. 6. v.

13.



vertit umbram. Expendo jam lapsi sub umbra malæ mali, feralis ligni, in peccatum hominis statum, & umbram intueor. Si scrutatis umbræ visceribus, umbram, luminis corpus plenè non ambientis defectum reperio, & hominem umbram invenio. Innocens à peccato homo lumine anbiebatur totus, *amictus lumine sicut vestimento*, quando terrea hominis portio illuminatæ serviens menti nullam caliginosam inducere valuit umbram, & ecce! subito, peccato malè illapsus, rebellante menti corpore, rationis obscurato lumine, in luminis actus est defectum seu in umbram, hancque ipsam umbræ rationem variatâ refert ætate, imbellem infantiam pueritiâque cum virili mutans statu, perfectamque altiori lumine viri consistentiam in defectuosam declinans senectam, si etenim terreis adhuc fœtulentis fordidibus infantia vix orientem adorat intellectualis lucis fulgorem matutinam dicam umbram, si depurato sub ætatem virilem iudicio, sol sapientiæ puncto imminet verticali, minimam meridianam videlicet indicabo umbram, quando

*Psal. 103.  
v. 2.*

*Traxerat exiguas jam sol altissimas umbras.*

*Virgil.*

si annosa sepulchrôque tenebroso a clivis senecta occiduum refert rationis solem, vespertinam compellabo umbram quoûsque emoriens fugit *Job. 14. v. 2. velut umbra homo*. Sic umbra homo si vel pusillum ordinato consideretur oculo ordo naturæ, quem & umbram reperire est in ordine gratiæ, si enim progeniem tenebrarum, Umbram indigitare libuerit, homo umbra, ubi sub mali umbra è filio Lucis, DEI, (*Deus Lux est*) contaminatus peccato avernalium fit filius tenebrarum, imò quod infandum jubet renovare dolorem, umbra diaboli quando *peccatores diaboli umbras* Aloy. Nov. sapientissimus æstimat Novarinus. Itâ umbra factus in meris quoque vitæ *l. 4. Sac. Evit umbris*, tempus quod variatâ metitur ætate umbræ est fugacitas, *lect. Exc. 95. umbra enim transitus est tempus*, in tempore dies quos reorientem assumit *Sap. 2. v. 5. sole congeritque in menses, concenturiat in annos umbra sunt, dies e-* *1. Paralip. nim nostri quasi umbra super terram & nulla est mora*, vita ipsa quæ summa *29. v. 15. quædam vitæ videtur veritas, tot vitalibus superbiens vanè ostentationibus non modo vana vitæ umbra, ast inimicæ pariter mortis est umbra; nec injuriam vitæ quâ vivo quisvis arguat, quando nec umbram injuriæ, apud Aloys. at clarissimam veritatis lucem hæc habet appellatio, ab illuminatissimis, occulto unum in sensum attractis magnetismo, ortum trahens Me-* *Nov. L. 4. S. Elect. Exc. diolanensium ac Hipponensium Præsulibus; umbraticam quippe humanæ vitæ* *89.*

expedientes conditionem, in floridissimo licet vitæ medio stabili se consistere vivacitate rati, profundo mentis obtutu illa Psalmographi: *in imagine pertransit homo*: meditates verba, altum ructantes suspirium exclamant: in umbra vivimus! vita ergo ista in corpore umbra est vitæ non veritas, quæ enim vita, quæ inimica sibi refert mortem, mortem circumfert, ac ipsius vitæ præcordia prærosurâ morte gravida est? non vita sed mortis umbra, solum vitæ ostentans nomen, vera mortis imago & umbra. Denique vel ipsa toti Adamiticæ progeniei communis pœnalis mortalitas mortales meras esse occlamat umbras, quatio etenim curioso pede ferales tumulos, quiescentes in tenebris fuscito manes, mortuales provoco umbras, & jam funestas quaquaversum de obscuris erumpentes tumulis audire libet voces: *sicut umbra cum declinat ablatu sum*. Sic sub malæ mali umbra, umbra homo. O infelices humanæ umbræ! plangite umbrosam sub umbra mali metamorphosin vestram, quæ è fundata, ac unâ hac devictâ concupiscentiâ inconcutibili olim in bono consistentia dejectæ, unico Adæ in futilem pomi esum turpi consensu, bonum malumque inter fluctuantes evalistis umbræ. Plangenda umbræ! quæ certâ vitæ æternæ exuta sub umbra mali, esu pomi expectatione immutata estis in umbras mortis, etenim si imitatio antiqui hostis cujus infelici astu mors mundo illata est, umbra est mortis, infelices serpentis in superbia asseclæ, parem concipiendo perversitatem, parturiendo iniquitatem, nefarium cum altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI æqualitatis edendo appetitum, mortis incurrendo reatum Protoplastæ umbræ fiunt mortis, novas continuâ progenie in vitam producturi mortis umbras. Congregamini jam congregamini Miserandæ umbræ, reamque (ut *quid etiam terram occupat*) succidite malum, succisâ malo, malam sublaturi umbram, quæ nec unicam in hominem umbræ diffudit gratiam, si umbra alioquin æstuantes placidè refrigerat non ista, quando sub hac umbra omnis in humano pectore ortus est tentationum æstus, si umbra solatiose quietis amica mater est, hæc laboris, quando sub mala hac umbra malè passi malis ex amœnissimo deliciarum ejecti sunt horro in terram laboris, ubi *maledicta* omnipotentis DEI verbo *terra, spinas & tribulos progerminat*; si umbra re-creativum est sudoris lenimentum, non hæc umbra, quando ob umbram peccati sub hac umbra contractam molesta illa in hominem vindicativo DEI edicto derivata est sententia: *in sudore vultus tui vesceris*

Psal. 108.  
23.

Aloy. Nov.  
L. 4. S. E.  
Exc. 95.

LUC. 13. v. 7.

Gen. 3. v. 17  
& 18.

v. 19.

*pane tuo.* Tollite ergo hanc umbram, tollite malum, & si fors in magnificæ voluptatis Paradisum nulla viæ occurrunt vestigia, ac ita vel invitè, vitæ perniciosæ parcendum mali, luat pro malo, mala pariter, malo huic assymbola arbor fulguris, quam ut reor in æviternum hujus mali symbolum nova Indiæ Orientalis produxit Francia, luat inquam, quæ securo suam sub umbram confugientes animo mox durissimis obruit fructibus enecatque, luat mali vices quæ pari omnino ratione amplectentes umbram mali proto-parentes malè perdidit, quando deciduis in abdomen fructibus pessimis, animas obruit ac peremit. Abominanda malus & memoriam tui jam mea abominatur oratio, quæ in tam flebilem, universam humanæ sortis progeniem præcipitasti miseriam, fuge nunc malam malum, mali umbram venerande Adam, quiq; sub umbra hac totam boni & mali abligurivisti bolo uno scientiam, malam quam delegisti umbram discernere nosce ab ea, cujus sub ambitum, præelecta ab æterno DEI Virginea Mater, te ad malæ mali umbram vel accedente, prona confugit. Si sub umbra mali quam stygius se ingerendo veteratator malam fecerat constitisti ruiturus in umbram peccati, sub umbra mirificæ mali refedit MARIA nulli obnoxia peccato, si malæ amoroso Evæ inductus scandalo te concredidisti umbræ, in umbram dejectus mortis selegit MARIA amore ejus qui est amor noster, Umbram ejus qui est *Vita*, si denique omnigenæ infelicitatis incautus incidisti umbram, contuere umbram, qua Tua protegatur filia corpore non mente, quæ à se æterna in cunctos omnipotens, in se magnifica ad Virginem mirifica irrefragabiliter noscitur, umbra hæc umbra est bonæ mali. Quanta antulogia, quando

*Conveniunt rebus nomina sæpè suis!*

Verumtamen hæc malus non est mala, discordant nomen & omen, cedere enim necesse habent grammaticæ, quando sacræ loqvuntur paginæ, an siquidem mala hæc malus, quando de hac malo optimè proloqvuntur Evangelia: *nemo bonus nisi solus DEUS*, an mala, quando miranda ex saluberrimis ejus fructibus noscitur bonitas, *ex fructibus enim cognoscetis* ait Veritas, an mala, quæ optimam refudit tantæque virtutis umbram, ut obumbratum hæc malô Apostolorum Principem supplices rogarent populi, ut *saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*, Scrutemur amplius bonam hanc malum: videam licet cæcütiente illius Evangelici oculo: *homi-*

*Jodocus de Castro l. 1. c. 18 de more nationum.*

*Joann. 3.*

*Lucæ 13. v.*

*19.*

*Math. c. 16.*

*v. 20.*

*Act. 5. v. 15.*

Marci 8. v. *nesicut arbores ambulantes*, nil tamen amplius quam ligna sunt silve-  
24. stria Christus malus, intuear quantumlibet in frugifero arborum

Hugo Card. *entia probaretur in qua & lapsus est in culpam, arborum item diversarum ge-  
in c. 2. Cāt. nus unde fructus humano inculpatè servirent nutrimento, cujus è paradiso e-  
jectus perdidit alimoniam. Objiciat & obtutus sese arbor vitæ, cujus salubri  
fructu humana conservaretur vitæ quæ privatus perdidit incorruptionis glori-  
am, nihilominus inter ligna silvarum Christus est malus. Obversetur oculis  
meis Christus Angelos inter veluti lignum vitæ inter arbores Paradisi, homi-  
nes inter Christus malus inter ligna silvarum quæ consentiendo peccato ele-  
gerunt sibi rhamnum, id est diabolum. Christus malus, nec piæ refugiant  
aures malum audire Christum, quando optima Christus malus probatur  
substantia, quantumlibet blasphema efferatur adjectio. Malus  
repeto est Christus, sive enim Divinæ Personalitatis natura cum hu-  
mana expendam conjunctionem, sive hominis lapsi cogitem reparatio-  
nem, aut Deificæ in omnes gratiæ mediter diffusionem malum suspi-  
cio. Ab ipsa exoptata sæculis Verbi Incarnatione ut ortum faciam,  
võrbis loquar Eminentissimi Ugonis, ut simplicem verborum candorem  
celsa ornet Purpura: *Ideo etiam malus inter ligna silvarum præstantior  
est, quia duplicis est nature nam truncum habet à terra, productum surculum  
aliunde accipit per insitionem, quæ sic conjuncta unam tantum arborem  
faciunt, ita omnes homines præter Christum unius tantum sunt nature scilicet  
humana, Christus vero tanquam malus inter ligna silvarum duplicis, hu-  
mana scilicet & divina, humanitati enim quasi trunco, Divinitas quasi surculus  
desuper veniens in unitatem personæ inserta est & unita. Quis jam Deum  
hominem Christum, malum non videat hâc vel ipsâ meridianâ luce  
clariore oratione; à claritate hac ad eam transeo claritatem quam Fi-  
lio dedit Pater; quando Theandrica ejus opera tam celsa suo in con-  
spectu sublevabat æstimatione, ut universæ merendo in carne Christus  
gratiam conciliaret creaturæ, sicque novis artibus se malum monstra-**

Ugo ibid.

Corn. à Lap. *ret, si enim cateris eminent præstantior, succumque virtutis alijs malus com-  
in c. 2. Cāt. municat arboribus. Malum jure Christum mea dicit oratio, qui dilectis  
Soperamnes suis eminentior, succumque virtutis communicans ob fragrantiam ad eò subli-  
l. 2. c. 16. de me excellit ut non modò virtute suâ præstantior, sed & alijs per sui commu-  
vera sap. §. nicationem utilior videretur, verè malus; & in dolorosa quam subijct se  
talem*

ralem morte probans quando *malus inter ligna silvarum* Mellifluo est *S. Bern.*  
*Christus crucifixus in medio latronum.* verum quid expendo singula, tribus *pud Cornel.*  
 succum promam cum Carensi, si *malus in hyeme est rugosa frigoris asperitas* à *Lap. hic.*  
*te, in vere & æstate speciosa florum amœnitate, in autumno fructuosa pomorum* Ugo *hic.*  
*ubertate,* Christo hæc propria intueor, rugositatem in passione, ubi *ab-*  
*scanditur vultus ejus & despectus,* speciositatem in resurrectione quando *Isaiæ 53. v. 3*  
*Dominus à ligno regnavit decorem indutus est,* fructuositatem in prædica- *Psal. 92. v. 1.*  
 tione ubi *fecit fructum centuplum.* Jam optimè malum teneo, sub hujus *Lnc. 8. v. 18*  
 mali umbra id est prævisi, atque in secreto Deitatis consilio destinati,  
 ab æterno *MARIÆ* filij salva est à peccato Mater, non mundata sed  
 munda à labe, præservata, quando tam sublimi Marri filius refundit  
 umbram prærogativâ, ut nec primam similem visa sit nec habere se-  
 quentem, ubi gaubia Matris habentem cum Virginitatis honore sele-  
 ctâ decuit protegere umbrâ. Refundat itaque licet hæc malus um- *S. Bernard.*  
 bram fidei, *umbra enim est fides, quæ est umbrosa & obscura, per fidem enim* *serm. 48.*  
*ambulamus & non speciem, sed fides nos ad claram in cælis visionem sicut um-*  
*bra ad corpus deducit,* alia est umbra quâ Immaculata obumbratur Ma-  
 ter: jaciat hæc malus mirandam umbram Augustissimum Evcharistiæ *S. Bernard.*  
 Sacramentum sub panis vinique speciebus Deitatis pariter & humani- *ibid.*  
 tatis hujus mali occultativum, communem & hanc participans specia-  
 lem nihilominus percepit Mater; edat licet hæc malus copiosissimas  
 admodum speciosas umbras, quæ Theodorici judicio habentur Sancti,  
 quando *vita Sanctorum umbratica est vita Christi, quæ prout à meridie cre-* *Ex Bibl. V. P*  
*scit in vesperam, sic ejus perfectio in dies crescit usque ad mortualem vitæ oc-*  
*casum,* amplioris gratiæ umbra Reginæ debetur Sanctorum, refundat  
 denique infectis peccato Adami filijs, *dilectus in cruce* (quâ licet acerbâ *Belloni. l. 8.*  
 à peccato redemit) *umbram quæ formam habet crucis,* non hæc peccati ut *c. 3. in tex-*  
 reparativa est à labe præservativa est Matris umbra: de umbra hac sci- *tū sub um-*  
 tatur Magnus Gregorius: *Umbra Christi protectio est Spiritus sancti,* quâ *bra & c.*  
 honore filij obumbrata Mater protecta sedit donec transeat iniquitas *S. Gregor. in*  
 Adæ, magnificè, mirificè, potenter obumbrata. Fruantur licet consu- *cap. 2. C. 2.*  
 mili mali umbrâ, sancti dico Spiritus gratiâ fatigatæ æstu tentationum  
 animæ justæ, *quæ mentem forsitan nimio vitiorum æstu jam marcidam pro-* *idē ibidem.*  
*regens recreat,* attamen incomparabili sublimitatis modo gratiosa hæc  
 in *MARIAM* derivatur umbra, ita sanè ut libero illa Bellonij verba  
 promam corde: *Qualis dilectus talis & umbra,* sub admirabili Spiritus *Bellonius*  
 sancti ut supra.

- sancti umbra à Virgine conceptus nescit labem originalem Filius, ignorabit eandem & concepta sub umbra Filij Mater quandoquidem tam virtuosam refudit umbram dilectus Matri Filius ut consortem puritatis reddat, & immunitatis singulari privilegio largiatur quasi æqualitatem. Magnificam Maximus Filius Magnæ Matri sparsit umbram sub
- Luc. i. v. 46* qua Immaculata dum *Magnificat animam ejus Dominum*, exultaret spiritu, præ universis Adæ filijs puritate & innocentia magnificata, mirificam diffudit umbram ut à peccato immunem, mirabundæ *beatam dicerent*
- ibid. v. 48.* *omnes generationes*, Umbram edidit potentem quam irâ magnâ fremens veterator prævaleret nunquam, sed quâ inumbrata mater averuale ejus contereret calcaneo caput. Taceant jam umbrosi illi, nè dicam obtenebrati, qui in MARIA vel umbram quærunt peccati, in Matre nam-
- Job 4. v. 18.* que ejus qui in *Angelis reperit pravitatem* nemo inveniet iniquitatem, lucernas cum Diogene meridiano sole oculis suis addant etiam Argi, citius exoculandi, quàm eis fas sit in MARIA vel novum peccati videnti, quandoquidem, jam excæcatis à nimio quæritandi studio Scribis & Pharisæis in Christo peccatum quærentibus, simili temeritate illud in
- Johannes de* MARIA investigant, quæ prout *Eva fuit Adæ similis ad corruptionem, Agacys in itâ similis fuit Christo ad reparationem, ac exinde itâ à peccato immunem esse Tit de Concept. Virg. fuit necesse, quemadmodum ipsum Christum.* Intrepidâ igitur jam mente, tripudiante voce à sacratis olim paginis de homine DEO decantatum
- i. Petri 2. v. 22.* Purissimæ Matri accino elogium, *peccatum non fecit*, quomodo enim amabo obumbrata Mariana, maternitas rea fieret peccati, quando ipsum Matris DEI peccatum purissimam quodammodo obcuraret Divinitatem, cujus participatione eximiâ gaudet intemeratæ Virginitati juncta Maternitas, prout gravissima Aloysij Novarini habet Theologia,
- Al. Nov. L. 4. S. E. obumbrante sancto Spiritu humanitatem DEO MARIA communicavit, & Excursu 13. DEUS Divinitatem suam Virgini,* Divinum quippe filium Divina decuit Mater, sinè labæ Virgo, mater in umbra à peccato protecta, talem quippe Genitricem talis condecuit umbra protectrix dum meum ad sensum illud Sacratissimi Vatis Jeremiæ reor spectare proloquium: *In*
- Isaia 51. v. 16.* *umbra protexi te ut plantes cælos & fundes terram*, Matris hæc etenim est umbra hæc prærogativa plantantis cælos, fundantis terram quando
- Pf. 84. v. 12.* *Veritas humanitatis de terra orta*, Divinitatîque implantandæ mirando sæculis sacramento Mariano in utero fundata est, ac cælum Verbum
- Joh. 1. v. 14* inquam de cælo descendens terræ huic inertum, ubi *caro factum est*,  
Ma-



Matris dico hæc umbra, quando tantam Deificæ humanitatis fundatricem Divinitatis implantatricem nulli terræ obnoxiam oportuit esse maculâ, ast puritatis prope Divinæ sub protectrice Umbra divina. Discat jam infelix Adam pessimæ suæ umbræ noscere nocivitatem, cuius infausto fato perdidit cœlos, subvertit terram, dum destinatam generi humano cœli gloriam incautus prodegit, terramque ipsam amicam cæteroquin hominis nutricem in inimicam convertit devoratricem quando fatali exanimatos casu jam universos devorat sui inhabitatores; inclinabundus Adam revereat jam Matrem quæ cœlos plantat terram fundat, quæ umbra Christi protecta protectione almi Spiritus obumbrata æstuantem peccati fomitem originali succensum labe nelcijt, taceo sensit, ab hac umbra obscurata. ut nec ad levem obtutum cerneret malum scelus, hâc umbrâ omnis pariter actualis iniquitatis germina impediende, gaudium bonæ conscientiæ generante, serpentis avernalis caput proterente. Suspirent jam Umbram tam mirandam animæ DEI Servæ, qualiter ut fatur Gregorius, *servus optabat ille* S. Gregor. l. 8. Moral. c. 4. *qui dicebat, siviit anima mea ad DELUM Fontem vivum quando veniam & apparebo ante faciem DEI, & rursus; heu me, quia incolatus meus prolongatus est, qui quasi à labore agri æstus fugiens, atque ad obtinendam requiem refrigerij tegmen quærens etiam dicit, ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum DEI, qualiter hanc quoque umbram desiderabat Paulus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, & qui dicebant: nos portavimus pondus dei & æstus, desiderant inquam homines servi, mortales peccato infecti, ac ideò servi, hanc umbram expetant, qui infirmitatis conditione constricti, sub dominantis post peccatum corruptionis iugo quasi sub æstus anxietate retinentur, aspirent repeto hanc umbram, ac Jerem: Th. 4. v. 20. *flebili voce cum lachrymoso in threnis ululent Jeremia: In umbra tua vivemus; ab æterna per peccatum homini conciliatâ morte, merito DEI Filij, Sanctificatoris Spiritûs gratiâ resuscitandi vivant sub sub hac umbra, ast viventes supplici poplite fedentem sub hac umbra venerentur MARIAM: sub umbra illius quem desideraveram sedi. Sede-* Cant. 2. v. 3 *ant licet alij ut judicent, prouti loquitur Psalmus, adversum me loque-* Pf. 68. v. 13. *bantur qui sedebant in porta, alij in humilitatem. Descende sede in pulvere* Esaiæ 41. v. 7 *Virgo Babylonis, alij in mansuetudinem: Venit tibi mansuetus sedens super* Joâ. 12. v. 15 *pullum asinæ, alij in superbiam super Cathedram Moysis, alij in roboris virtutisque affecutionem cum Apostolis, sedete in civitate quousque in-*  

C

duami-*

*Lucæ ultimo v. 49.* *duamini virtute ex alto,* sedent denique alij super multā fatuitatis cū Ab-  
*2. Reg. 18. v.* *salon,* Mater sub umbra sedet nè peccato contaminetur, ac ab ipso Ma-  
 9. *gestuali sub umbra situ à peccato immunis orbi comprobetur.* Obscu-  
 ram hanc inter vivere & sedere sub umbra, differentiam explano di-  
 fertius; Felices reor vix spirantem amplius sub hac umbra vitam a-  
 gentes quando justorum hæc vita est, quique præordinati ad vitam æ-  
 ternam, deplorandi tamen quia sub umbra sedere nulla indulgetur fa-  
 cultas, nam qui deliquit sedere non potest, id est à pœnitentiæ satisfa-  
 ctorijs operibus requiescere satis est si vivat sub umbra, id est pœni-  
 tentiæ laboribus se vivere probet, soli sub umbra sedendi indulgenti-  
 am filius impertitur Matri, quæ sola omni peccati sollicitudine aliena,  
 nullam in plangendis abolendisque peccatis opus habet impendere ir-  
 requietam sollicitudinem, non mea hæc est fictio, verum acumen hoc  
 Mellifluo debemus, sedentem sub umbra meditantem & in sequentes e-  
*S. Bern. ser. 48. in Cant.* *tur,* rumpenti voces Bernardo: *Fortasse facilius aliquid ista se expertam gloria-*  
*quiescere est, plus est autem quiescere sub umbra quam vivere, ubi itaque cum*  
*labore vivimus qui conscij peccatorum sub labore servimus, ibi hæc svavitæ*  
*requiescit & sedet ut agnoscas prærogativam,* Facessant ad hoc Bernardi a-  
 cumen, nisi acrem ejus aculeum persentiscere eligant, qui proximum  
 adminus peccati **MARIÆ** adscribentes debitum, eò Marianæ im-  
 minuunt excellentiam prærogativæ ut præ sacratis in utero vati-  
 bus, nihil vel parum habeat speciale, prærogativa sedentis sub um-  
 bra Matris est, umbrosæ Adami voluntati nec inclusam fuisse, an e-  
 nim cum Adamo vetito vesceretur fructu, quæ sub umbra sedens ma-  
 li, de optima sua malo, optimis vescebatur fructibus, fructus capiens  
 perpetuæ salutis, fructus omnem svavitatis continentes gratiam san-  
*Cant. 2. v. 3.* *ctitatis substantiam, dulcedinis delectabilitatem, fructus ejus inquit*  
*dulcis gutturi meo, dum gustati ab Ada fructus adeo probantur acerbis*  
*Ezech. c. 18. v. 2.* *ut dentes filiorum obstupescant.* Abjiciat jam pomum suum Adam, ac malè  
 olim passus malis sub umbra bonæ mali confugiat indeque fructus  
*S. Ambr. in Ps. 118. ser. 8* *carpat, remissionem peccati, gratiam, virtutes,* apprehendatque hanc ma-  
 lum ut sibi fiat lignum vitæ, ac ab animæ morte redivivus vivat æter-  
 num, nec custodem Paradisi Angelum aut flammeum ejus metuat gla-  
 dium, si filium negabit iratus Pater, concedet interpellatrix, dilecta  
 Patri præelecta Filio, sinè labe concepta Benigna Mater, nè tamen se-  
 niculus Proto-parens ingratum illud audiat:



*Si nihil attuleris ibis Adame  
Homere foras.*

*Ovid. art.*

Umbrosum meum hodie adduco Adamum ad audientiam Marianam cum novo fructu è bona malo, pomo aureo, Marianæ illud dicantem puritati cum Lemmate: *Detur pulcherrima: sinè macula.* De tanta puritate MARIÆ gaudet jam meus Adam, agnoscens Matrem quæ pariat filium, suum expiantem piaculum, si gaudet Adam, congaudenti & mihi, immuni sub umbra mali à peccato Mariæ, festivâ voce libet ingeminare gaudium. Gaude itaque sub hac filij tui umbra *Tota pulchra, Cant. 4. v. 7 macula non est in te,* gaudio Tuo exultante acclamo animo cum Ruperto *Spiritus sanctus obumbrabit tibi & ecce formosa es.* Gaude sub umbra cujus *Rup. in c. 2. protectionis virtute, nullam contrahens peccati umbram nunquam in vanam immutata es umbram, nunquam umbra facta diaboli, nunquam decidua in umbram mortis, permanens speciosa DEI imago sinè nâvo. Mater sinè Labe, Sponsa sinè macula, Filia sinè offensa. Congaudeat tam immaculatæ sua sub umbra Matri Filius hæc enim Divinitatis est sublimitas ut substantialis Sanctitatis Filium sanctissima pareret Mater gratiæ participatione, hæc quoque suæ umbræ est gloria, vel umbra, à communi humanae progeniei malo servasse à peccato Matrem, hæc potentiæ suæ est excellentia, ubi sub prima mundi exordia, per Verbum facta sunt omnia, mirando hîc arcano per Verbi incarnati Umbra ab originali exemptam nâvo MARIAM, gaudeat itaque Divinus Filius, gaudiique sui fontem sumat, in umbra uteri immaculatæ se gestatum Matris, capiâtque à MARIA umbram complacentiæ, quam & Gerboza Tr. DEO refundit anima sub umbra Divina constituta gratiæ. Cum Filio con- 1. art. 5. de gaudeat Sponsa Filij, applaudens in hac die Gaudij Purissimæ Matri lum. gloriæ. Universa Ecclesia, & hæc suæ pars est gloriæ nec Matrem Sponsi in cuius labijs gratia diffusa est, deformari maculâ aut rugâ, edat itaque Ps. 44. v. 3. gaudium in gaudio plausum. Gaudeant quoque Sanctissimorum Pontificum Immaculatæ Matris Honori studiosissimorum Xisti IV. Julij II. Leonis X. Pauli V. Gregorij XV. ac demum Alexandri VII. ad Augustissimam Leopoldi Primi instantiam diem hanc festam, in Pa- Anno 1664. trocinium univèrsarum Hæreditariarum Provinciarum dedicantis, 12. Nov. beatæ Umbræ, ab obumbrata, præservatæ à Mortis umbra, deductæ ad patriam claritatis æternæ. Congaudeat pariter Augustissimus Cæsar de Mariana hac Umbra, ob susceptum sub protectrices Umbras Cæ-*

fareæ suæ Aquilæ Inmaculatæ Matris honorem, reciprocâ Augustifimam Umbram recepturus vice, quando *obumbrabit super caput ejus in die belli*. Gaudeat paterni Juris Hæres Augustus Rex, *scapulis suis obumbrabit obumbrata ut cadant à latere ejus mille, & decem millia à dextris ejus*. Gaudeat Serenissimus Archidux nec de Hispanis sibi metuatis sive regnante feroci Marte, sive pacificâ successurâ oleâ, Martis tempore ferro & igne de hostibus triumphaturus, quando obumbratæ Matris Carolo Patrocinantis Præsidio, hostiles ferro ruent turmæ, *morientes in clamaturæ, cooperuit nos umbra mortis*, ac Umbra MARIE *umbra evadet rhamni unde egrediatur ignis*, devoraturus non modò *Hæbreæ veteris inimica Gallia Lilia, sed & cedros Libani hostilis, denique MARIA suo in pace Umbraculum ejus*, & ut sedeat unusquisque pacificè sub vire *Psalmi 75. sua Umbraculum in vinea*, & ut requiescat à fervore belli *Umbraculum Isaiæ 1. v. 18 ab æstu, umbraculum meridiani*. Gaudete & vos absolutissimo jure RR. *Isaiæ 25. v. 4. ac RR. PP. Marianæ hujus Domus pijsissimi incolæ, obumbrata Spiritu Eccl. 34. v. 19. sancto à peccati originalis labe præservata, speciali jure est vestra, si sub umbra Divinæ mali in DEI conspectu inquinantis expers sceleris est MARIA, sub umbra id est defensione subtilis vestri Doctoris Joannis Scoti patriâ Hiberni in amplissimo Ecclesiæ Universalis conspectu à peccato libera suspicitur, donec aspiret dies decisionis in fidem & inclinentur umbræ pijsimæ existimationis, jure itaque vestra est, refundet ergo in Religiosissimam Dòmum vestram Umbram gratiæ & protectionis, tantâ amplitudine, tantâ ubertate, ut una omnium vestrum ructet confessio: quia bona erat Umbra ejus. Congaudere libeat & vobis AA. OO. obumbratæ Conceptionis Marianæ reverentes pijsimiq; cultores, de umbræ Marianæ excellentia, gaudium cieat spes, Mariam obumbratam sese exhibituram ceu umbrâ in horologio Achaz quaqua versum ad vota vestra pronam. congaudebo & ego MARIE de hac Mali umbra in fiducia plena, nomen meum & gratiæ Marianæ in me fore derivativum.*

In hoc gaudio finio, in gaudio tamen non pleno. Immaculatam Virginis Conceptionem (vel tenuissimo quodam adumbrandam modo illuminatissimas requirentem parabolas) obscuris sub umbris me deduxisse. Verum dolorem meum liber lenit sapientiæ; quando; nec *Umbra picture labor sine fructu*, si Marianam à peccato immunitatem deduxi umbraticè, laboris sit fructus, quantum libet honor Marianus. Vobis verò AA. OO. gratiæ pro gratia, sub caliginoso meo de umbris sermoac splendoribus vestris nullum fuisse gravamen, silentes & patientes esse Umbras, ità Mariani Encomiastis Umbra, grates refero umbris cum & mea velut umbra declinat Oratio.

DIXI.

Sen 79.